



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Christo Jesu In Eucharistia De Cordibus Triumphant. Epinicivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

Fornicibus longis , perque intima trames apertus  
Viscera petrarum , & cœci penetralia Ditis.

Huc adde egregias cultu , spoliisque superbas  
Pyramidas populorum , auctosque insignibus arcus ,  
Balneaque , & thermas , & vulgi gaudia circos ,  
Et vota in medio belli discrimine templa.  
Hæc & plura suo spectanda volumine Pastor  
Exhibuit , nullis ante intellecta priorum ;  
Et quamquam tritos Latii describere calles  
Aggressus , tamen astra novo sibi limite pandit .

CHRISTO JESU  
IN EUCHARISTIA  
DE CORDIBUS TRIUMPHANTI  
EPINICIVM.

**S**TERNITE fronde vias & pictis compita velis ,  
Spargite ferta manu , date tura , incendite odores :  
Purpurea passim florentes luce fenestræ  
Luxurient , vincantque suis funalia solem  
Ignibus. In cantus & verba precantia voces  
Effundant liquidas pueri innuptæque puellæ  
Certatim , festi resonent toto æthere plausus :  
Victor adest Deus , Ecce Deus. Non qualis opacâ  
Nube vehens olim Zephyros per inane jugales  
Cum tonitru ciet , & tristes denuntiat iras  
Gentibus , inque reos cœlo gravis ingruit ultiō :  
Sed felix placidusque suis , & dignus amari  
Ingreditur famulas populis lætantibus urbes ,  
His secum referens pacalis munus olivæ.

O victor ! ( nam quo potius te nomine dicam  
 Magne triumphati sine vi , sine milite , mundi  
 Arbiter ac princeps ? ) gravibus non pressa catenis  
 Post currus it turba tuos , lacrymosaque reges  
 Agmina felicis turbant spectacula pompæ ;  
 Non tibi captivæ dejectis mœnibus arces  
 Invidiam , non regnorum fumantia busta  
 Conciliant , tinguntque tuas fuligine palmas.  
 Sed Pietas comes , & miti Clementia vultu ,  
 Atque Fides , atque in dubiis certa anchora rebus  
 Spes , circum duxere choros. Tibi prævia latè  
 Gratia iter sternit , manibus cœlestia plenis  
 Dona ferens , totasque in vulgus prodiga spargens  
 Divitias : tibi certatim plaudentibus alis  
 Siderei alludunt juvenes : te regia cœli  
 Ambit , victorique humeros supponere gaudet.

Præcipuas sedenim reliquis cedentibus ultrò  
 Implet Amor partes , magni pars ipse triumphi  
 Maxima. Non illo quidquam præsente , severi  
 Majestas habet , aut tumidi victoria fastūs.

Quin adeò metuens ne non tolerabile numen  
 Mortales hebetet visus ; refringit amicæ  
 Oppositū nubis radios , orisque serenat  
 Fulgura , quò fas sit cunctis impune videri ,  
 Et solos retinet queis pectora torreat ignes.

Nec vero his Amor officiis contentus ; inermem  
 Christe , manum reddit tibi , ne punire nocentes  
 Ut cupias , possis : adimit quoque luminis usum  
 Crimina ne videas : aures tibi denique claudit ,  
 Ne pateant jaētis ultura in numina probris.

Sic te sponte adigis sub vincula : quique triumphas ,  
 Ipse triumpharis proprio subiectus amor.

O animæ turre, & claustra impervia ferro,  
 Ne pudeat portis, nunc demum ivisse reclusis  
 Sub leges, ipsaque viam fecisse ruinâ.  
 Tuque meum pectus, quamquam munimine circum  
 Obseptum triplici, superesque adamanta rigore,  
 Cede Deo, totoque sinu complectere ovantem.  
 Hoc petit, hæc illi est tantorum meta laborum.  
 Æternosque feret clemens tibi victor honores.

## C O R

## IN AMORIS OFFICINA RENOVATUM.

**A** DDE fidem vati, pronasque his vocibus aures  
 Posteritas, memorique animo mea dicta repone:  
 Mira canam. Piceis nox orbem involverat alis,  
 Jamque poli media cursum statione tenebat:  
 Cum subito visa ante oculos discedere late  
 Culmina, & immissa compleri luce penates.  
 Quaque secans umbras radiato limite sulcus  
 Funditur, aurati faciens commercia mundi;  
 Dius Amor magna fratribus comitante caterva  
 Improvisus adevit. Dependet eburnea collo  
 Telorum custos: manus altera sustinet arcum:  
 Altera præfixo vibrantem adamante sagittam.  
 Et prior: O socii, quid enim mea jura moratur  
 Accipere, & domino submittere pectus amori?  
 Nempe gerit triplex circa præcordia ferrum  
 Durus, & à blando nequicquam figitur arcu:  
 Fracta morâ cuspis, solidoque illisa resultat  
 In nostrum redditura caput. Quin irrita quando  
 Vis perit, & nullis rigor est superabilis armis,  
 Ingenio certare juvat. Depromite cunctas